



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Cvrsvs Theologici ...**

Ea Brevitate Conscriptus, Qvam Tot Tantarvmqve Rervm Amplitudo Et  
Varietas Patitvr ...

Quas Prima Pars Et Prima Secundæ Divi Thomæ Complectvntvr -  
Qvæstiones Insvper Ad Mores & praxim spectantes, quæ peculiarem cum  
Scholasticis habent connexionem, declarantur

**Carleton, Thomas Compton**

**Leodii, 1659**

Sect. IV. An actus internus imperatus bonitatem, aut malitiam sumat ab  
imperante.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13718**



V.  
Varius modis  
actus aliquis  
dici potest  
liber.

VI.  
Quamvis  
posito actu  
imperante,  
non potest  
non sequi  
actus aliquis  
imperatus,  
non tamen  
est necessa-  
rium ut hic  
numero a-  
ctus ponat-  
ur, sed alius  
valde di-  
versus.

Actus impe-  
ratus potest  
etiam esse  
meritorius.

VII.  
Hac ratione  
Christi ad  
moriendum  
liberius sus-  
ficiens fuit  
ad meritum.

Libertus  
physica &  
moralis.

VIII.  
Si actus im-  
perans, om-  
nes omnino  
circumstan-  
tias deter-  
minaret,  
actus impe-  
ratus non  
esset liber.

IX.  
Si solum ve-  
lit actus im-  
perans im-  
peratum im-  
determinatè  
quoad tem-  
pus, potest  
hic esse liber.

Idem est de  
efficace in-  
tentione fi-  
ni.

Ad solutionem notandum variis modis posse actum imperatum esse liberum: primum extrinsecè seu denominativè & participativè ab actu imperante: hoc ergo modo actus imperatus voluntatis est liber, id enim nihil aliud est, quam hunc actum sequi ad determinationem alterius actus qui est liber, quo etiam modo actus intellectus inò actus etiam externi, ad internum voluntatis actum secuti, sunt denominativè liberi.

Secundò actus aliquis imperatus est liber, quando licet (ut hic contingit) non sit liberum voluntati,posito actu imperante, de actu amoris v. g. eliciendo, non eum elicere, potest tamen hic actus in particulari esse liber, quatenus scilicet, quantumvis ponatur actus imperans, potest voluntas non solum hunc numero actum præ alio simili elicere, sed etiam valde diversum secundum intensiorem, objecta diversa, & alias huiusmodi circumstantias: actus namque imperans amorem Dei, solum tendit in genere, sicque quocunque amore posito, satis sit illius imperio, cum non solum multi sint actus amoris possibiles, sed etiam inter se diversissimi. Unde poterit actus amoris imperatus non tantum esse liber, sed meritorius, licet, stante actu imperante non possit non sequi aliquis actus amoris pro instanti vel tempore, quo est imperium.

Hoc modo in tractatu de Incarnatione dixi Christi libertatem sufficienter ad meritum salvari, cum hac ratione non solum in ipsius potestate fuerit mori hac vel illà horâ, in hac vel illà cruce, quod sufficit ad libertatem purè physicam, sed liber erat ad moriendum per talia vel talia tormenta, graviora scilicet vel minus gravia, in loco obscuro vel celebri, unde major oriretur mortis ignominia, ex hoc vel illo motivo, & alia huiusmodi, quæ dici solet libertas in genere moris: licet ut ibidem dixi, secundum hunc modum procedendi non fuerit liber Christus ad non moriendum simpliciter; circumstantiæ tamen proximè posite multum faciunt ad æstimationem moralem, & consequenter abundè sufficiunt ad meritum.

Si tamen omnes omnino mortis circumstantiæ fuissent determinatæ, non fuisset liber Christus secundum hunc modum libertatem ejus defendendi, nec morali libertate nec physicâ. Quod idem hic contingeret in actu imperato respectu imperantis, nec aliâ ratione esset in hoc casu actus ille liber pro tempore quo illum sic intendit actus imperans, quam extrinsecè, modo supra explicato num. 5. Imò ulterius addidi tractatu illo de Incarnatione, probabile esse potuisse Christum hic in viâ mereri per actus amoris Dei beatificos, seu ortos ex visione beatâ, cum licet non potuerit non amare Deum, in ipsius tamen potestate esset, diversos & inæquales actus amoris circa illum elicere.

Dixi, pro tempore quo actus imperans vult illum actum elici; si enim solum cum imperet indeterminate quoad tempus seu pro aliquo instanti intra tale tempus, non obstante actu imperante est liber actus imperatus elicitus quocumque instanti illius durationis, excepto ultimo. Quod idem est de intentione efficaci finis respectu electionis mediæ, etiam unici, si intentio non sit determinata pro certo instanti, sed tantum pro tempore aliquo indeterminate; tunc enim electio, etiam talis mediæ, est libera quovis instanti illius temporis, excepto ultimo, si eodumque electionem quis differat. Et per hæc patet ad objectionem supra factam.

Dicunt aliqui, actum imperatum amoris, in circumstantiâ actus amorem imperantis, non solum esse liberum quoad circumstantias, sed etiam quoad substantiam, ita ut simpliciter possit tunc voluntas omnino non amare, non inquit, est in potestate voluntatis tollere vel impedire ne ponatur imperium.

Sed contra: hoc enim non sufficit ut possit quis immediate non elicere actum amoris, seu non amare, sed tantum mediatè, tollendo scilicet, vel impediendo causam ad amorem necessitantem, qua stante non sequi amor non potest. Unde in hoc casu solum est libera voluntas ad non amandum mediatè, immediate autem & simpliciter necessitata. Qui plura de actu imperante & imperato videre cupit, adeat P. Oviedo, qui hic Contro. nonâ fulsime hac de re disputat.

SECTIO QUARTA.

An actus internus imperatus bonitatem, aut malitiam sumat ab imperante.

Hi itaque positis, existimo cum S. Thoma hic q. 18. art. 4. & q. 19. art. 2. ad primum Cajet. q. 18. art. 6. & Thomistis communiter, Salas, Tannero & aliis, posse actum internum imperatum desumere bonitatem vel malitiam ab actu imperante. Ratio est, quia actus externus imperatus redditur honestus vel inhonestus ab actu interno, à quo imperatur; ergo & actus internus, cum non minus per eum dirigatur ad finem actus imperantis, quam externus. Nec refert actum internum imperatum habere aliquam libertatem distinctam ab actu imperante, quam non habet externus; cum enim hoc non impediat, quo minus ordinetur ad finem actus imperantis, non etiam impediet, quo minus ab eodem hauriat bonitatem illius finis, licet hoc habeat supra actum externum, quod ob libertatem quam continet, & peculiarem modum tendendi proprium, superaddere ulterius possit bonitatem suam, ut eum ex actu amoris Dei imperante elicit quis actum misericordiz.

Dices cum Vasquez, qui Disp. 51. cap. 4. contrarium tenet, hinc sequi, actum non naturalem tantum, sed etiam in entitate supernaturalem posse vitari, & reddi malum: quidni enim habens quis principia omnia ad actum supernaturalem eliciendum requisita poterit eum per actum ex fine vel circumstantiâ malum imperare, quod si fiat, actus secundum nos erit malus, ergo & actus supernaturalis dilectionis Dei esse potest malus, saltem venialiter, ut si quis cum vel indebito tempore elicere vellet, aut cum nocumento valetudinis &c.

Respondent aliqui, actum illum dilectionis fore quidem venialiter malum, non tamen supernaturalem; sicut enim, inquit, habitus fidei non concurrat ad actum falsum, ita nec habitus charitatis ad actum malum; charitas enim non agit perperam. Quod etiam suo modo de aliis similiter virtutibus infusus dici potest.

Secundò tamen Respondeo, actum etiam supernaturalem virtutum infusarum (saltem si actum dilectionis Dei excipias) vitari posse. Hæc videtur mens Sancti Augustini expressè affirmantis homines ex vanis interdum motibus fieri Christianos, & ratio

X.  
Etiam si  
actu im-  
perante vo-  
luntas ali-  
quis im-  
peratum est  
liberum.

XI.  
Quamvis  
per se sit  
imperans,  
actus impe-  
ratus est  
liberum  
mediatè.

I.  
Actus inter-  
nus imperatus  
potest boni-  
tatem vel  
malitiam  
desumere ab  
actu imperante.

Actus tamen  
hic imperatus,  
ob liber-  
tatem quam  
in se habet,  
superaddit  
aliam boni-  
tatem, sui  
propriam.

II.  
Obiit, hinc  
sequi posse  
actum super-  
naturalem,  
imò etiam  
actum amo-  
ris Dei veni-  
aliter, & red-  
di malum,  
saltem veni-  
aliter.

III.  
Dicunt non-  
nulli actum  
illum amari  
Dei non fore  
supernaturalem.

IV.  
Nil valet  
quod modo  
actus super-  
naturales  
virtutum  
infusarum  
vitari possunt.



& ratio est, quia si habeat quis principia omnia actus supernaturalis, cur non poterit illum elicere. Quod verò opponunt aliqui Sanctum Augustinum contrarium opinari, dum aliquando ait nunquam accidere, ut aliquis verè fiat Christianus ex motivis vanis; hoc inquam non obstat, solum enim ait, id ut plurimum non contingere, ut patet ex loco paulò ante allato, ubi expressè id subinde evenire asserit. Vel fortè dici posset Sanctum Augustinum non omnem conversionem ad Christianam fidem negare fieri posse ex motivis vanis, sed solum prout disponit ad charitatem & veram iustitiam.

Mens hæc in parte S. Augustini.

V. Positne actus dilectionis Dei super omnia vitari.

Dixi saltem si dilectionem Dei excipias; actus enim dilectionis Dei super omnia non potest vitari, præcipuè mortaliter, cum impossibile sit ut simul quis habeat efficacem voluntatem Deum in nullo omninò graviter offendendi, quod importat actus dilectionis Dei super omnia, & tamen simul velit aliquid, quod ei graviter displiceat. Imò si eòusque perveniat actus dilectionis, atque ita sit super omnia, ut affectum etiam ad levem offensam excludat, non poterit actus ille vitari, vel venialiter; uterque siquidem ex his actibus sibi contradiceret, si vitaretur primus mortaliter, secundus etiam venialiter. Si verò actus dilectionis non sit ad eò perfectus poterit vitari, ut cum S. Thoma q. 2. de malo art. 4. ad secundum docet Sotus lib. 1. de naturâ & gratiâ cap. 22. Salas hic d. 3. lect. 12. & multi ex recentioribus, ut si quis exercere vellet actum amoris Dei, quando impediret opus quod habet obligationem aliquam faciendi, vel cum nocumento valetudinis, &c. juxta dicta superius.

Aliguis actus amoris Dei potest vitari venialiter.

SECTIO QUINTA.

Uterius declaratur quomodo actus imperatus bonitatem aut malitiam sumere possit ab imperante.

I. Obj. Sequi confessionem Sacramentalem frequenter, in personis etiâ devotis esse invalidam.

OBIECTIS: Si possit actus internus voluntatis imperatus vitari ab imperante, sequitur si persona aliqua ex motivo venialiter malo, ut ex fine aliquo humano, placendi scilicet confessario accederet ad Sacramentum pœnitentiæ, sequitur inquam, confessionem fore invalidam, & consequenter personam illam peccataram mortaliter, cum dolor, qui est essentialis pars Sacramenti, vitaretur; hoc autem mirum videtur, hujusmodi quippe motivum in personas etiam devotas facilè potest irreperere.

Respondetur primò moraliter loquendo nunquam contingere, ut toto tempore quo examinatur conscientia; dolorem quis excitet ex hoc solum motivo: quod si alium de peccatis habuerit dolorem, sufficit ad valorem & fructum Sacramenti. Excusantur etiam frequenter eiusmodi personæ à peccato ratione ignorantie & inadvertentiæ. Secundò tamen responderi posset, etsi admittatur, ut admittunt plurimi, actum supernaturalem posse vitari extrinsecè, & hoc pacto reddi malum, non sequi si dolor ille procedat ex prædicto motivo, & reddatur venialiter malus, confessionem fore invalidam; cum adhuc dolor ex suppositione maneat supernaturalis; & consequenter pars sufficiens Sacramenti, imò & sufficiens ad fructum eius percipiendum: sicut enim peccatum veniale in ipsâ confessione commissum non impedit valorem nec fructum Sacramenti pœnitentiæ, ita non videtur impedire quod dolor qui est pars illius vitetur, & reddatur venialiter malus: quemadmodum non esset invalidum Sacramentum Baptismi, si Sacerdos baptizaret simoniacè.

II. Resp. hunc casum moraliter loquendo nunquam contingere.

Non omnis actus malus reddit Sacramentum Pœnitentiæ invalidum.

Potest itaque voluntas, non ineffaciter tantum, sed efficaciter imperare alium actum internum voluntatis, nec mediatè tantum, movendo scilicet intellectum, ut rationes investiget, quibus inducatur paulatim ad tale vel tale objectum amplectendum, sed etiam immediatè, ita ut refragari nequeat voluntas, quo minùs ejusmodi actum eodem & tempore eliciat; quo imperatur.

III. Vitari non potest tantum, sed etiam immediatè potest imperare sibi.

Licet verò actus ille sit supernaturalis, Deus tamen per auxilium supernaturale ad illum cum omnibus circumstantiis non concurrat, sed merè secundum speciem, ut aiunt, seu prout est tendentia in tale objectum, in hoc autem adhuc nulla continetur malitia. Quod verò scet præcedente obiectebatur, Charitas non agit perperam: Respondetur, quantum est ex se non agere perperam, posse tamen per accidens, & ex abusu nostræ voluntatis, sicut & contingit fidei, dum quis ex malitiâ voluntatis, occasione alicujus actus fidei in desperationem prorumpit, vel odium Dei.

IV. Quo pacto Deus ad hujusmodi actum concurrat.

Hic tandem ad hanc disputationem concludendam observo, etsi quando ex fine malo unus actus imperat alium, aliquid malitiæ in actum imperatum derivetur ab imperante, posse nihilominus interdum actum bonum ab actu malo imperari. Ponamus exempli gratiâ Deum Petro prohibere ne per imperium reflexum, actum misericordiæ erga pauperem eliciat, si Petrus per hujusmodi imperium actum illum misericordiæ eliciat, hic actus est bonus, quia nec in se quidquam habet malitiæ, ut suppono, nec a Deo prohibetur, sed solum prohibetur imperium illud reflexum, ex quo procedit: unde imperium illud est malum, utpote prohibitum, actus verò misericordiæ bonus.

V. Potest interdum actus bonus imperari ab actu malo.

